

tur: quare, & qua forma: quibus rationibus possit testamentum sustineri, licet querella fuerit in iudicium deducenda; tit. 9. de legatis sermocinatum, vid. verb. Legatarius, Legatum; tit. 10. circa testamenti executores versatur, vid. addit. hisp. huic verb. Suppositam, vers. Agendum: & verb. Legatarius, vers. Quod heredes: tit. 11. de Falcidia, & Trebellianica, vid. verb. Falcidia; in addit. hisp. nov. titulus 12. modum alium attingit ultimam voluntatem declarandi, vid. eandem addit. hisp. vers. Sapepsum: de successione ab intestato in tit. 13. est sermo, vid. verb. Successio ab intestato, per tot. tit. 14. formulam prescribit per quam sive ex testamento, sive ab intestato ab herede bona hereditaria petantur, sunt tradenda, Ad rem lex 1. tit. 14. lib. 3. Ord. Reg. & 3. tit. 3. lib. 4. Recop. Cast. titulus 15. dispo- nit quomodo hereditas dividenda, vid. verb. Hereditas, & Successio ab intestato; in tit. 16. de tutelis sunt decisiones, vid. verb. Tutela, tit. 7. lib. 3. For. Reg. lib. R. pag. 37. tit. 17. causas refert propter quas tutores & curatores excusationem ad hac onera obeunda merentur, vid. idem verb. Tutela; tit. 18. quare tutores suspecti a tutela sunt removendi, vid. proxime; tit. 19. suas leges dirigit, ut minores viginti & quinque annis nullum damnus consequantur, si sua facilitate, defensoris culpa, alteriusve dolo præ- iudicium aliquod sit irrogatum, nam eo probato, & constituto de minori etate, eis restituitur in integrum de- negari nequit, vid. lit. R. ex pag. 148.

Multoties animadvertens existit, objectum harum no- varum; adnotationum in nullo alia nisi fundamento, quam consensum, & dissensum inter nostras leges, & Aucto- ris doctrinam recognoscere: ideo, cum non facile hic separari tractare in tot insertis speciebus valeret, con- iunctim omnia amplificatur, ita ut, si quilibet quæ sunt præventa tam in hac nov. quam hisp. add. confa- rat, omnia stabilimenta tam vetera, quam novissima com- prehendat, & discernat absdubio in quo differant & consentiant leges hispanicæ cum prædicta doctrina.)

TESTIS.

ARTICULUS I.

Quod ea, quæ concernunt illos, qui possunt, vel non, esse testes, tum generaliter quoad omnia, tum specialiter quoad certas personas, & causas.

SUMMARIUM.

- 1 **T**ESTES unde sint dicti: qui sint: que præcipue in eis sunt attendenda: quales personæ habiles, aut inhabiles considerantur: que prohibita in to- tum, seu limitate ad testificandum, & referantur, ad n. 7.
- 8 **A**bsolute inhabiles tam in civilibus, quam criminalibus, & quas exceptiones comprehendat, manifestantur, ad n. 31.
- 32 **E**xcommunicati an admitti possint: que in eos dis- tinctio: in quibus causis pauperes & viles perso- na nequeunt esse testes: femina quando ad- mittantur, ad n. 56.
- 57 **P**upilli seu impuberes inhabiles reputantur: quando capaces, & an testificari valeant de iis que in impubertate viderunt, ad n. 69.
- 70 **N**eque parentes pro filiis, neque isti pro illis testi- monium ferent: inter ascendentes, & descendentes, ceteroque consanguineos discrimen notatur; de marito, & uxore, domesticis, & libertis an detur capacitas invicem ad testificandum, propo- nitur, ad n. 94.
- 95 **J**udei & infideles quando adhiberi possunt in tes- tes: laici in Clericis, & Religiosos, & conversos: quibusque in casibus: afferuntur decreta Sacrae Congregationis, ad n. 108.

- 109 **C**lerici, & Religiosi sine venia superiorum an valide in testamentis, & contractibus, & ins- trumentis laicorum testificentur: nullus in causa propria: nec Advocati, neque Procuratores, Ju- dices in causis quibus consultant, ad n. 112.
- 113 **I**dem dicendum de Tutoribus, Curatoribus, Admi- nistratoribus, Syndicis, & Auctoribus: causa propria qua sit: proxeneta seu mediator nequit esse, nisi de partium consensu, vel si aliter ve- ritas non potest haberi, ad n. 117.
- 118 **P**relatus, alique Clerici Seculares, sive Regula- res, quando in causis sue ecclesie, sive monas- terii in testes possint adhiberi: in causis univer- sitatis qui capaces intelligantur, ad n. 131.
- 232 **N**ovæ additiones inseruntur, ad n. 142.

TESTES dicti sunt, quasi superstities, textu expresso in cap. Forus 10. de verborum significatione, ibi: "Testes antiquitus superstities dicebantur, eo quod super cau- sâ statu preferantur, nunc (parte ablata nominis) testes vocantur." Unde testes generatim loquendo sunt personæ, que ad fidem alicuius rei faciendam adhiben- tur; Ita in re Communis Doctorum.

In testibus sex præcipue sunt attendenda, nempe 3 conditio, sexus, vita, ætas, dignitas, atque fortuna; sic Glossa communiter recepta in cap. In nomine Domini 2. de testibus, verb. Utilissimi, ubi ad id dat sequen- tes versus.

Conditio, sexus, ætas, discretio, fama, Et fortuna, fides, in testibus ista requiruntur.

Testes igitur ad hoc, ut ad testificandum possint admitti, debent esse idonei, seu habiles, legitimi, & integri, aut integre opinionis, ac famæ; Communis. Tales autem sunt, & habentur idonei, & legitimi, qui- cumque a testimonio dicendo per canones, vel leges non repelluntur; Communis, per text. in leg. testimonio- rum 1. ff. de testibus, ubi omnes illi pro testibus ido- neis, habilibus, legitimis, aut integris agnoscuntur, qui- bus non interdicitur testimonium: Unde qui nulla legitima exceptione a testimonio repelli possunt, idonei tes- tes dicuntur, & omni exceptione majores; c. Ex lite- ris 2. de consanguinitate, juncta Glossa ibi. verb. Major- res: sic expresse dicitur: "Illi dicuntur omni exceptio- ne majores, qui repelli non possunt aliqua exceptione."

Et contra autem testes idonei, seu inhabiles ad testificandum sunt omnes illi, qui Jure prohibentur, si- ve arcantur a testimonio ferendo; Ita in re communis. Et ex istis aliqui in totum, sive omnino, generaliter prohibentur esse testes, & alii limitate tantum, scilicet vel pro certis personis, vel contra certas personas, vel in certis causis tantum, ut infra singuli distincte assignabuntur.

Et in primis generaliter, & absolute inhabiles ad testificandum, tam in causis civilibus, quam crimina- libus, sunt infantes, & impuberes, id est, masculi mi- nores 14. annis, & femine minores 12. leg. Testium fides 3. §. 5. & leg. Invidi 19. de testibus, juncta Glossa communiter recepta ibi. verb. Sed nee pupillis: Et hoc propter defectum, & infirmitatem Judicii, ut expresse dicitur in cap. Infamis 1. caus. 3. quest. 7. Et impubes, quia iudicio caret; Vide tamen infra à n. 59.

Item inhabiles ad ferendum testimonium sunt amen- tes, & furiosi: Isti enim sicut non possunt esse Judi- ces, per text. in cit. cap. Infamis: ita etiam ne- queunt esse testes, quia mente carent; §. Testes au- tem 6. Inst. de testamentis ordinandis, §. Præterea 1. Insti. Quibus non est permittum facere testamen- tum, ibi: Item Furiosi, quia mente carent. Et con- cordat leg. In negotiis 5. & leg. Furiosi 40. ff. de Regul. Juris, & cit. cap. Infamis 1. caus. 3. quest. 7. cum similibus.

Item inhabiles ad id sunt surdi, & muti simul à nativitate: Isti enim animi sui sensus exprimere ne- queunt, & ideo etiam testamenta facere non possunt.

§. Item surdus 3. Inst. "Quibus non est permittum fa- cere testamentum" leg. Qui in potestate 6. ff. Qui testamenta facere possunt, & leg. Discretis 10. cod. eod- dem: Tum quia testes viva voce deponere, eorumque dicta à Jure audiri debent: leg. Cum ab initio 4. & leg. Vel negare 5. ff. testamenta quemadmodum aperian- tur; leg. Testium 3. §. 1. ff. de testibus. Excipiuntur tamen, qui ex accidenti surdi, & muti, scribere, aut certis, & indubitatis signis, seu nutibus cogitationes suas explicare possunt, leg. Sermo 65. §. Si pupillo ff. Ad Senatus consult. Trebellian. (verb. Testamentum.)

11 **I**tem inhabiles regulariter sunt cæci, quia solus auditus in testibus non sufficit, sed presentia, & visus requiritur, cap. Testes 15. caus. 3. quest. 9. cap. Cum causam 32. de testibus, ibi: Visu, Auditu &c. leg. Testium 18. cod. de testibus. Qui autem non vi- dent, presentes non dicuntur: leg. Coram Titio 209. ff. De verb. signif. leg. 1. in fine, & ibi Bartolus, ff. De auctor. consens. Tutor. adeoque qui non vident, testes esse non possunt.

12 **I**tem inhabiles sunt servi, seu mancipia: leg. Quo- minus liberi 11. cod. De testi. Auctent. de Testibus §. Si vero tit. 2. collat. 7. & c. Forus 10. de verb. sig- nif. ubi etiam ratio redditur, quia nempe servus sæpe metu dominantis testimonium supprimit veritatis.

13 **P**ossunt tamen servi, seu mancipia esse testes, quan- do non habetur alia probatio ad eruendam veritatem, leg. Servi 7. ff. de testibus, ibi: "Servi responsu cre- dendum est, cum alia probatio ab eruendam verita- tem non est." Et concordat leg. Cum probatio ff. de probationibus, & cap. Si testes §. Servi 4. quest. 3.

14 **I**nsuper possunt servi, seu mancipia esse testes etiam in exceptis criminibus, quia in ipsis admittuntur tes- tes etiam inhabiles; cap. In fidei 5. cap. Accusa- tus 8. §. Licet de Hereticis in 6. Vide etiam infra num. 23.

15 **I**tem inhabiles sunt ad testificandum qui pretio ad id sunt conducti, cum eo ipso corrupti censeantur, ac proinde eorum testimonium non valet, sed à parte adversa; immo etiam officio Judicis rejici potest; cap. Placuit 1. de testibus, ibi: "Placuit Sancto Conven- tui, ut testes non conducti pretio," cap. Sicut no- bis 9. eodem cap. Licet 9. de probationibus, ibi: "Objeit in testes prædictos, quod corrupti falsa dixissent," cap. Non sani 15. caus. 14. quest. 5. leg. Testium 3. §. 5. ff. de testibus, cum similibus.

16 **I**tem inhabiles ad testificandum, tam in causis crimi- nalibus, quam civilibus, sunt infamia Juris notati; Com- munis, per text. in cap. Testes 2. quest. 7. cap. Nulli 3. quest. 4. cap. Constitutus 3. quest. 5. cap. Præte- rea 7. de testibus cogendis, leg. Testium 3. §. 3. ff. de testibus, ibi: "Alii vero propter notam, & infamiam vitæ suæ admitti non sunt ad testimonii fidem."

17 **I**tem inhabiles sunt ad testificandum in causis crimi- naliter motis etiam infames infamia facti: In istis enim causis requiruntur probationes indubitatae, & omni ex- ceptione majores; cap. Denique 1. de exceptionibus, cap. Testes 2. quest. 7. leg. Sciant cuncti 25. cod. de probationibus, adeoque ad id non sufficiunt testes infames infamia facti, quorum fama, & exstimator, & consequenter fides apud viros prudentes, & hones- tos graviter læsa est; Communis. In causis autem crimi- nalibus civiliter agitatâ, & in causis civilibus non gravioribus regulariter admittuntur ad testificandum tales infames infamia facti, quamvis eisdem de fide non parum diminuat; Glossa in cap. Testimonium 54. vers. Emendatus, de testibus, Abbas ibidem n. 61. Mascard. de probationib. conclus. 1363. num. 49. & 65. Farinacius de testibus quest. 56. num. 100. & 155. ac seg. allegans alios, Engel lib. 2. Decretal. tit. 26. n. 16. Reiffenstuel ibid. num. 49. & alii.

18 **E**tiam infames infamia Juris admittuntur ad tes- tificandum in variis casibus, & signanter in crimi- nibus exceptis, ut hæresis, læsæ majestatis, & hu- jusmodi, quia in ipsis propter eorum enormitatem, ac maximam, quam reipublicæ afferunt, perniciem, ad-

mittuntur etiam testes inhabiles; cap. In fides 5. & cap. Accusatus 8. §. Licet de Hereticis in 6. vide infra num. 20.

Item quando veritas aliter haberi non potest, quam per tales infames, leg. Servi 7. ff. de testibus, Felinus in cap. Testimonium 54. num. 6. de testibus, Felinus ibid. num. 11. Mascard. loc. cit. num. 52. Farinacius loc. cit. quest. 56. num. 50. & 55. cum aliis ibi alle- gatis.

Item quando infames rogati fuerunt ab utraque parte, ut essent testes; Tunc enim præsumitur ejus fides mutuo partium consensu approbata; Sic Glossa in Auctent. §. De Testibus 9. Licet colat. 7. Jason. in leg. Cunctos populos num. 69. cod. de Summa Trinitate Baldus in cap. 2. num. 3. de testibus, Farinac. loc. cit. quest. 56. num. 92. Mascard. loc. cit. conclus. 1363. num. 53. & alii.

Item valet testimonium infamis, quando tempore dati dicti testimonii communi opinione reputabatur bona famæ, sicut valet testimonium servi communi opinio- nione habiti, ut liberi; Communis, per textum in leg. Testes 1. cod. De testamentis.

Item inhabiles ad testificandum sunt criminosi, etiam non infames, id est, qui commiserint crimen grave, seu peccatum mortale non habens annexam infamiam. Juris: Isti enim criminosi, sive perseverant in crimine, sive jam fuerint emendati, repelluntur omnino à testi- monio ferendo in causis criminalibus criminaliter motis; cap. Testimonium 54. de testibus, & Glossa ibid. verb. Confessus, verb. Emendatus, & verb. Opinio. Hostien. verb. cod. Abbas num. 8. & 12. Felinus num. 24. & 31. Barbosa n. 1. Farinac. loc. cit. quest. 56. n. 135. Pirhing. loc. cit. num. 22. Reiffenstuel loc. cit. num. 61. & alii plures, & concordat cap. Super eo 13. de testi- bus. Et ratio est, quia in istis causis requiruntur pro- bationes indubitatae, & omni exceptione majores; leg. Sciant cuncti 25. cod. de probationibus, cap. Testes 2. quest. 7. cap. Denique 1. de exceptionibus, cap. Super eo 13. de testibus, adeoque ad id non sufficiunt tales testes criminosi, cum ratione commissi gravis criminis eorum fides reddatur suspecta.

In causis autem civilibus admittuntur ad testi- monium tales criminosi, si jam sint emendati; secus vero, si nondum sint emendati; cap. Testimonium 55. de testibus, & ibi Glossa verb. Emendatus; Abbas n. 61. Barbosa num. 1. Farinac. loc. cit. quest. 56. num. 126. & 134. ac seg. Mascard. de probationibus conclus. 465. num. 1. & 6. Reiffenstuel loc. cit. num. 58. Pirhing. loc. cit. num. 20. & 21. & alii: Et ratio est, quia licet digni sint fide tales criminosi jam emendati, ex quo criminosi post penitentiam non censeantur amplius ma- li; cap. Ferrum 18. dist. 50. indigni tamen fide sunt criminosi nondum emendati, cum non sit credendum contra alios eis, qui criminibus implicentur; cap. Ne- ganda 1. caus. 1. quest. 11.

Et hoc procedit de Jure canonico, quamvis tales criminosi de crimine nondum fuerint condemnati; Dum- modo crimen ipsis objectum legitime probetur, textu expresso in cap. Super eo 13. de testibus, ibi: "Res- pondemus, quod si etiam ante non sint convicti, vel confessi de criminibus illis, dummodo inde con- vincantur, in testimonium non debent admitti." Et in ejus Summario sic expresse dicitur: "Crimen nunc probatum repellit testem aliâs de illo crimine dam- natum."

De Jure civili tamen requiritur, ut de crimine illo fuerint antea judicialiter condemnati; leg. Testium 30. §. 4. ff. de testibus, ibi: "Quique Judio publico dam- natus erit; leg. Athletas 4. §. 4. ff. De bis, qui notan- tur infamia, ibi: "Calumniator ita demum notatur (in- famia) si fuerit calumniæ causa damnatus, neque venim sufficit calumniatum." Ita Glossa finalis in cit. cap. Super eo: & ibi Abbas n. 3. Farinac. loc. cit. quest. 56. num. 129. Pirhing. loc. cit. num. 194. Reiffenstuel loc. cit. n. 60. & alii.

Criminosi jam emendati admittuntur pro testibus in causis etiam criminaliter motis in variis casibus, & signanter in criminibus exceptis, ut de infamis in-

famia Juris dictum est *supra* num. 20. Item quando veritas aliter haberi non potest, quam per tales criminosos; ut dictum est *supra* n. 21. Item quando tales criminosi rogati fuerint ab utraque parte, ut essent testes, ut dictum est *supra* n. 22. Item quando pars ad veritatem nihil opposuit contra testes criminosos, quos sciebat esse tales: Tunc enim censetur tacite consensisse in tales criminosas personas, easque approbasse, adeoque postea, seu post factam eorum examinationem, nihil amplius aponere potest; *arg. leg.* Si quis testibus 17. *cod. de testibus*; juncta Glossa *ibid. verb.* Excipere, Mascard. *de probationibus conclus.* 465. num. 22. Felin. *in cap. Testimonium* 54. num. 3. *de testibus*, Pirhing. *loc. cit. num.* 25. Reiffenstuel. *loc. cit. num.* 65. & alii.

28 Perjuri, id est, qui falsum juramento confirmant, non possunt esse testes, neque in causis civilibus, neque in criminalibus; *cap. Quicumque* 18. *caus. 6. q. 1. cap. Parvulus* 14. *caus. 22. quest. 5. cap. Ex parte* 7. juncta Glossa *ibid. verb.* De Perjurio: *de testibus* & 29 c. Testimonium 54. *rod. Et hoc procedit*, etiamsi jam fuerint emendati, & de perjurio poenitentiam egerint; *cit. cap. Testimonium* 54. *de testibus*, & *ibi* Glossa *verb. Perjuri*, & Abbas *ibid. num.* 7. Glossa *in cit. cap. Quicumque verb. Testimonium*: Et ratio est, quia, qui semel pejeraverunt, presumuntur iterum pejeraturi; Glossa *in cit. cap. Parvuli verb. Causa*, *arg. cap. Non potest* 24. *caus. 2. quest. 7. ibi*: "Non potest erga homines esse fidelis qui Deo extiterit infidus."

30 Valet tamen testimonium perjuri in crimine heresis. Ad hujus enim pestiferi criminis probationem in Fidei favorem potest perjurus esse testis, deponendo tam contra se, quam contra complices, quod prius celaverat: Dummodo ex manifestis indicis appareat, quod ipse perjurus, non ex animi levitate, aut odio, sed zelo Fidei Orthodoxae id faciat, textu expresso *in cap. Accusatus de Hæresi* 8. §. Licet, *de Hæreticis in 6. juncto* ejus summario sic dicente: "Testis in causa heresis falsum deponens, licet perjurus sit, probat dicendo contrarium; Dummodo tamen ex indicis constat, dictum non corruptionem, sed veritatem continere."

31 Excommunicati vivendi nequeunt ad testimonium ferendum in Judicio admitti, quia ipsi inter infames reputantur; *cap. Illi*, qui 3. *cap. Infames* 17. *caus. 6. quest. 11. Et concordat textus in cap. Veniens* 28. *in fine, de testibus*, ubi decernitur, quod testes, de quorum excommunicatione dubitatur, quia excommunicati dicuntur, prius ad cautelam absolvanur, quam ad Judiciale testimonium admittantur; *cap. Decernimus* 8. *de sententia excommunic. in 6. cap. Excommunicamus* 13. §. Credentes, *de Hæreticis*, ubi excommunicati non solum non admittuntur ad testificandum, sed etiam Judex Laicus ab Ecclesiastico compellitur per censuras ad eos repellendos. Immo excommunicati neque possunt admitti ad testificandum contra alios excommunicatos; Sic Mascardus *de probationibus vol. 2. conclus.* 705. num. 4. Farinac. *quest.* 56. num. 257. Pirhing. *loc. cit. num.* 31. Reiffenstuel. *loc. cit.* 43. & *seq.*

32 Possunt tamen dicti excommunicati admitti ad testimonium in crimine heresis, textu expresso *in cap. In fidei favorem* 5. *de hereticis in 6. ibi*: "In Fidei favorem concedimus, ut in negotio Inquisitionis hereticæ pravitatis excommunicati, & participes, vel socii criminis ad testimonium admittantur." Et generaliter possunt tales excommunicati esse testes in omni casu, in quo testes infames ad testificandum admittuntur; Mascard. *loc. cit. num.* 15. Farinac. *loc. cit. n.* 281. Pirhing. *loc. cit. num.* 31. *in fine*, & alii: Item tales excommunicati possunt esse testes Instrumentarii, scilicet in contractibus & testamentis, præsertim in casu, quo haberi non possint alii testes idonei non excommunicati; Mascard. *loc. cit. num.* 12. & 13. Pirhing. *loc. cit. n.* 31. *in fine*, & alii.

36 Pauperes, & viles personæ, nequeunt esse testes in causis criminalibus; *arg. leg.* Nonnulli 10. *ff. de Accusationibus*, *ibi*: "Nonnulli prohibentur accusare propter paupertatem, ut sunt, qui minus quam quin-

quaginta aureos habent." Et ratio est, quia in criminalibus causis requiruntur probationes indubitatae, & testes omni suspitione, & macula carentes, *leg. Sciatis cuncti* 2. *cod. de probationibus*, *cap. Denique* 1. *de exceptionibus*, *cap. Testes* 2. *quest. 7. Id autem non reperitur in testibus pauperibus, & vilibus, cum semper eis possit opponi exceptio paupertatis, & vilitatis, seu plebeitatis, per textum in leg. Testium* 3. *in princip. ff. de testibus*, *ibi*: "Testium fides diligenter examinanda est, ideoque in persona eorum exploranda erit in primis conditio cujusque: Utrum quis Decurio, an Plebejus sit, & an honestæ, & inculpatae vitæ, an inolecuples, vel egeus sit, ut lucri causa quid facile admittat." Quæ lex est canonizata *in cap. Si testes* 9. Testium fides 4. *quest. 3. Et concordat cap. In primis* 5. *Sed & de personis* 2. *quest. 1. ibi*: *Aut ne inopeas sint*, cum similibus; Sic Farinac. *loc. cit. quest.* 57. n. 15. & 16. Mascard. *de probationibus conclus.* 1161. num. 11. & *seq.* Reiffenstuel. *loc. cit. num.* 97. Pirhing. *loc. cit. num.* 77. & alii.

Item pauperes, & viles personæ non admittuntur tamquam testes idonei in causis civilibus arduis, & magni momenti; Sic Farinacius *cap. quest.* 57. num. 26. & 27. illud exemplificans in causa unius herediatis, vel majoris partis bonorum, *arg. leg. Propter item* §. 1. *ff. De excusatione tutor.* Pirhing. *loc. cit. numer.* 77. Reiffenstuel. *loc. cit. num.* 98. Mascard. *loc. cit. num.* 16. Parisius *consil.* 188. num. 27. vol. 5. & alii. Et ratio est, quia causæ civiles arduæ, & magni momenti æquiparantur causis criminalibus, *arg. leg. Advocati cod. de Advocat. divers. Judicior.* ubi Advocati patrimonium hominum defendentes dicuntur laborantium spem, vitam, & posteror defendere, unde sicut dicte pauperes, & viles personæ nequeunt esse testes in causis criminalibus, neque in civilibus, arduis, & magni momenti.

In causis autem civilibus, non adeo arduis, & magnis, pauperes, & viles personæ, nisi aliunde suspectæ sint, non repelluntur a ferendo testimonio in Judicio, prout colligitur *ex cap. Si quis testium* 8. *de testibus*; juncta Glossa *ibid. verb. Paupertate*: ubi statuitur, quod Judex mittere debeat personas idoneas ad recipiendum testimonium eorum, qui paupertate depressi personaliter ad ipsum Judicem accedere nequeunt, adeoque pauperes, & viles non repelluntur a testificando. Et ratio est, quia non tam ex facultatibus, quam ex fide, & moribus testis idoneus æstimatur, *arg. §. suspectum* 13. *Instit. de suspectis tutoribus*, & *curatoribus*, Glossa *in leg. Testium* 3. *in princip. verb. Egeus ff. de testibus*. Tum quia si aliter teneretur, minis coarctaretur facultas probandi, contra *leg. Quoniam cod. de hereditatibus*, cum multo plures sint pauperes, quam divites, prout arguit Farinac. *loc. cit. quest.* 57. num. 13. Pirhing. *loc. cit. num.* 76. Reiffenstuel. *loc. cit. num.* 99. & alii.

Immo & in ceteris quoque casibus admittuntur pauperes ad testimonium, si ceteroquin sint personæ honestæ, & nequaquam suspectæ propter suam paupertatem, prout clare desumitur *ex cit. cap. Si quis testium* 8. *de testibus*, & tenent Glossa *ibid. verb. Paupertate*: & DD. *ibid. teste* Reiffenstuel. *loc. cit. n.* 100. ac tenuit Rota apud Rubicum *part. 12. decis.* 57. numer. 12. auctoritate Baldi *in cit. cap. Si quis testium* num. 5. intelligens etiam in causa ardua, qualis de facto erat illa, in qua Rotalis decisio emanavit. Et hoc idem procedit, quamvis pauper sit vilis, si tantum sit vilis, quia pauper; Rota *loc. cit. Menochius lib. 2. de arbitrar. Judic. cas. 96. numer. 5. & cum pluribus aliis ibi allegatis*, Reiffenstuel. *loc. cit. num.* 100. & alii.

Fœminæ regulariter possunt esse testis in causis civilibus, tam de Jure canonico, quam civili; Sic Communis Doctorum, teste Pirhing. *loc. cit. num.* 66. Et quidem loquendo de Jure civili, habetur *in leg. Ex eo* 18. *ff. de testibus*, *leg. Qui testamentum* 20. §. Mulier *ff. Qui testamenta facere possunt*. Et loquendo de Jure canonico, habetur *in cap. Mulieres* 2. *de Jur.*

diicit in 6. *cap. Ex eo* 2. & *ibi* Glossa *verb. Testimonium caus. 15. quest. 3.*

Et hoc procedit etiam in causa Matrimoniali, quamvis inter causas civiles gravissima, & valde ardua censatur: Communis, & colligitur aperte *ex cap. Super de testibus*, & *cap. Videtur* 3. *Qui testimonium accusare possunt.*

Dicitur autem notanter Regulariter, quia fœminæ in aliquibus causis civilibus nequeunt esse testes, & signanter in causis feudalibus, textu claro *lib. 2. Feud. tit. 32. Qui testes sunt necessarii*, Mascard. *concl.* 764. n. 2. Farinac. *quest.* 59. n. 39. Pirhing. *loc. cit. n.* 67. Reiffenstuel. *loc. cit. n.* 89. & alii. Excipiunt tamen fœminæ illustres, & habentes feudum sub se, quia tales possunt esse testes etiam in causis feudalibus; Mascard. *loc. cit. num.* 3. Farinac. *loc. cit. num.* 40. Pirhing. *loc. cit. num.* 67. Reiffenstuel. *loc. cit. num.* 89. & alii.

Neque fœminæ possunt esse testes in causis civilibus arduis, & magni momenti: In istis enim requiruntur testes magis idonei, quibus nihil prosum viti obijci possit, quales non sunt fœminæ: Nam, ut expresse dicitur *in cap. Forus* 10. *de verbor. significat. in fine*: "Nam varium, & mutabile testimonium semper fœmina producit." Ita Farinac. *loc. cit. quest.* 59. num. 37. & 38. Pirhing. *loc. cit. num.* 66. Reiffenstuel. *loc. cit. num.* 90. & alii.

Item nequeunt fœminæ esse testes in testamentis, textu expresso *in §. Testes* autem 6. *Instit. de testamentis ordinandis*, & *leg. Qui testamentum* 20. *ff. Qui testamentum facere possunt*. Possunt tamen fœminæ esse testes in codicillis: Glossa *in leg. Si qui* 8. *Cod. de codicillis*, Tuschus *lit. C. conclus.* 405. numer. 1. Baldus *consil.* 283. *circa finem lib. 3. Molina disp.* 131. num. 6. Pirhing. *loc. cit. num.* 73. ubi ex aliis dicit id esse verum, etiamsi omnes testes essent fœminæ: Reiffenstuel. *loc. cit. num.* 88. & *lib. 3. Decretal. tit. 26. num.* 711. ubi testatur de communis aliorum. Vide *verb. Testamentum art. 4. num.* 6. Insuper possunt fœminæ esse testes etiam in testamentis ad pias causas. Et id favore piæ causæ, & animæ testatoris: Ancharanus *in cap. Cum esses* 10. *num.* 6. *de testamentis*, Fagnan. *ibid. num.* 34. & *seq. Card. Petra tom. 2. Commentar. ad Constit. 10. Innocent. III. rel. 3. num.* 29. Reiffenstuel. *lib. 2. Decretal. tit. 20. num.* 88. & alii: Vide *verb. Testamentum art. 2. num.* 21.

Fœminæ de Jure canonico nequeunt esse testes in causis criminalibus criminaliter motis; *cap. Multe* rem 17. juncta Glossa *verb. Nec testis caus. 33. quest. 5. cap. Forus* 10. juncta Glossa *verb. Mulieres, de verb. significat.* Et ita Mascard. *conclus.* 762. n. 1. Farinac. *quest.* 59. n. 1. & *plur. seqq.* Pirhing. *loc. cit. n.* 69. ubi testatur de communis: Et ratio est, quia fœminæ de sua natura sunt mutabiles, fragiles, & inconstantes, & ideo minus idoneæ reputantur à Sacris canonibus, ut sint testes in causis criminalibus criminaliter motis, in quibus agitur de gravissimo præjudicio Reorum.

Notanter autem dicitur *in causis criminalibus criminaliter motis*, quia in causis criminalibus solum civiliter motis, v. g. ad compensationem damni illati, vel ad privationem Beneficii alicujus inhabilis, seu non canonice electi, vel promoti, etiam de Jure canonico possunt fœminæ esse testes; *cap. Tam literis* 23. & *ibi* Glossa *verb. Fœminas, de testibus*, Pirhing. *loc. cit. num.* 70. Reiffenstuel. *loc. cit. num.* 91. & alii.

Item de Jure canonico possunt fœminæ esse testes, si agatur de crimine per modum denuntiationis, exceptionis, vel inquisitionis, ut clare constat *ex cap. Quoniam* 3. *de testibus*, ubi cum quadam crimina Epiphanius Presbyteri denuntiata fuissent Papæ Gregorio, is mandavit Sabino Defensori Sardinia, ut tam mulieres, cum quibus illa commissæ assereretur, quam alios de ea re conscios Romam adduci curaret, seu, ut *ibi* notant Hostiensis, & alii Canonistæ, eorum examen eo mitteret, ut sic veritas aperiri posset: Sic Glossa *in cit. cap. Quoniam in principio*, Pirhing. *loc. cit. num.* 70. Reiffenstuel. *loc. cit. num.* 92. Farinac. *loc. cit. quest.* 59. num. 9. allegans plurimos alios.

Item de Jure canonico possunt fœminæ esse testes in crimine heresis, læsæ majestatis, simoniae, & aliis exceptis criminibus: Communis per text. *in cap. In Fidei favorem* 5. *de Hæreticis in 6. cap. Quanta* 7. & *cap. Per tuas* 32. *de Simonia*, cum similibus.

Item de Jure canonico possunt fœminæ esse testes etiam in causis criminalibus, quando non possunt haberi aliæ probationes: Vel quando agitur ad defensionem alicujus, seu ad probandam ejus innocentiam, & generaliter in omnibus illis casibus, in quibus de Jure canonico possunt esse testes etiam personæ infames, in ipsis possunt etiam, ac multo magis fœminæ esse testes: Glossa *in cit. cap. Mulierem* 17. *verb. Nec testis caus. 33. quest. 5.* Reiffenstuel. *loc. cit. num.* 92. Pirhing. *loc. cit. num.* 77. Farinacius *loc. cit. quest.* 59. num. 8. & 10. & *seq.* & alii passim: Unde videtur dicta *supra* à num. 20.

De Jure civili possunt fœminæ, dummodo non sint criminosæ, aut infames, esse testes etiam in causis criminaliter motis; *leg. Ex eo* 18. *ff. de testibus*, & *leg. Qui testamento* 20. §. Mulier *ff. Qui testamentum facere possunt*: Ita Abbas *in citat. cap. Quoniam* 3. num. 2. *de testibus*, Clarus *in practice. §. final. quest.* 24. num. 2. Mascard. *loc. cit. conclus.* 762. num. 11. Farinac. *loc. cit. quest.* 59. Pirhing. *loc. cit. num.* 68. testans de Communis.

Dicitur autem notanter: Dummodo non sint criminosæ, aut infames, quia istæ, ut quæ corpore palam ac sine defectu quæstum fecerunt, nec de Jure civili possunt in causis criminaliter motis esse testes; *leg. Testium* 3. §. 5. & *ibi* Glossa *verb. Quæ palam ff. de testibus.*

Item neque de Jure civili possunt fœminæ esse testes in causis criminalibus valde gravibus, & arduis, ut cum agitur de poena mortis inferendæ; tunc enim etiam tres fœminæ contestes Reum non convincunt, & id propter exceptiones ex earum sexu resultantés, cum fœminæ suapte natura sint nimis mutabiles, fragiles, ac inconstantes, Mascard. *loc. cit. n.* 14. Farinac. *loc. cit. num.* 21. 23. & 26. Pirhing. *loc. cit. num.* 68. & alii.

Pupilli, seu impuberes regulariter in nulla causa, sive civili, sive criminali possunt esse testes; & hoc ob defectum, seu infirmitatem sui Judicii, *art. consilii*, textu claro *in leg. Testium* 3. §. 5. & *ibi* Glossa *verb. Impubes, & verb. Lubricum, ff. de testibus*, *leg. Inviti* 19. *ff. eod. cap. Infamis* 1. *caus. 3. quest. 7. ibi*: *Et impubes, quia judicio caret.* Unde impuberes neque possunt esse testes in testamentis, textu expresso *in §. Testes* autem 6. *Instit. de testamentis ordinandis*, *leg. Hac consultissima* 21. *Cod. de testamentis.*

Dicitur autem notanter Regulariter, quia in variis casibus possunt impuberes esse testes. Et signanter pro Matrimonio contrahendo in locis recepti Concilii Tridentini *sess. 24. cap. 1. de reformat. Matrimonii*. Duo enim testes præter Parochum ibi à Concilio requisiti possunt etiam esse impuberes; dummodo sint rationis compotes, & bene percipiant quid agatur: Concilium enim Tridentinum *loc. cit. duos*, vel tres testes simpliciter, & sine ullius peculiaris qualitatis mentione ad valorem matrimonii requirit: Ubi autem lex non distinguit inter puberes, & impuberes, neque nos distinguere debemus; *cap. Quia* circa 22. *de privileg. & leg. De pretio* 8. *ff. De Publiciana in rem actione*. Si enim illos voluisset puberes, expressisset, quia quod voluit expressit, *arg. cap. Inter corporalia* 2. *de translatione Episcop.* §. Sed neque istud, *cap. Ad audientiam* 12. *de decimis*, adeoque &c. Et sic expresse tenent Barbosa *part. 2. de Offic. & potest. Episcop. allegat.* 32. num. 138. Sanchez *lib. 3. de Matrimonio disp.* 41. num. 4. & 5. Layman *lib. 5. theolog. moral. tract. 10. part. 2. cap. 4. num.* 6. Reiffenstuel. *lib. 2. Decretal. tit. 20. num.* 74. & *lib. 4. tit.* 3. num. 103. & alii passim. (Vid. *verb. Canonizatus, art. 4. pag.* 31.)

Item impubes factus pubes testificari potest de iis, quæ vidit in impubertate sua: Glossa *in leg. Testium* 3. *§. 5. & ibi* Glossa *verb. H* *verb.*

verb. Impubes ff. de testibus, Farinac. quest. 58. n. 53. allegans alios, Speculator tit. de teste §. 1. n. 35. asserens ita tenere omnes, Reiffenstuel loc. cit. num. 77. Et ratio est, quia pubes factus non prohibetur ullo jure testificari de iis, quæ vidit tempore suæ impubertatis, adeoque debet admitti: leg. Testimoniorum usus 1. §. 1. ff. de testibus, ibi: "Adhiberi quoque testes possunt non solum in criminalibus causis, sed etiam in pecuniariis litibus, sicut res postulat, & hi, quibus non interdicitur testimonium, nec ulla lege à dicendo testimonio excusantur." Concessum enim intelligitur quod expresse non prohibetur, uti habet Glossa marginal. communiter recepta in cap. Inter corporalia 2. de translat. Episcop. verb. Non invenitur, arg. leg. Mutus 43. §. 1. ff. de Procuratoribus, & cit. leg. Testimoniorum usus 1. §. 1. ff. de testibus. (Lit. C. pag. 161. ante num. 49.)

60 Item impubes pubertati proximi possunt esse testes in revelanda occasione sui Domini, & similibus, textu expresso in leg. Exciipiuntur 14. ff. de S. C. Silvaniano, Farinac. cit. quest. 58. num. 15. 16. & 18. cum aliis ibi citatis, Speculator loc. cit. num. 34. Reiffenstuel loc. cit. num. 76. & alii.

61 Item tales impubes possunt esse testes in crimine læsæ majestatis: Communis, arg. leg. Nullus, Cod. Ad Legem Juliam Majestatis. Item in crimine Hæresis: Communis, per text. in cap. Fidei 5. & cap. Accusatus 8. §. Licet, de hæreticis in 6. Item quando alia probationes haberi non possunt, seu veritas aliter haberi non potest, quàm per tales impubes, per dicta à simili de infamibus supra num. 20. Vide ibi.

64 Puberes minores viginti annis non possunt regulariter esse testes in causis criminalibus: Farinac. quest. 57. num. 10. & 23. Speculator tit. de Teste §. 1. num. 34. Pirhing loc. cit. num. 75. Reiffenstuel loc. cit. num. 80. & alii passim per clarum textum in leg. In testimonium 20. ff. de testibus, & in cap. Testes 3. §. In testimonium caus. 4. quest. 2. quo utroque in loco sic præcise statuitur: "In testimonium accusator citare non debet eum, qui Judicio publico reus erit, aut qui minor viginti annis erit," ubi Glossa final. istud recte intelligit in causa criminali, uti etiam non obscure indicat by Accusator.

65 Dicitur autem notanter Regulariter, quia tales puberes minores viginti annis possunt esse testes in criminibus exceptis, & quando aliter veritas haberi non potest, cum in similibus, ut dictum est supra num. 62. possint esse testes etiam impubes, adeoque à fortiori puberes licet minores viginti annis; Farinac. cit. quest. 57. num. 29. cum pluribus aliis ibi citatis, Alex. consil. 64. num. 5. & 6. lib. 1. Mascard. de probationibus conclus. 1253. num. 7. Reiffenstuel loc. cit. num. 82. & alii passim.

66 Puberes majores viginti annis, quamvis adhuc sint minores, seu minores vigintiquinque annis, possunt esse testes in causis criminalibus, prout colligitur clare à sensu contrario ex cit. leg. In testimonium 20. ff. de testibus, & cit. cap. Testes 3. §. In testimonium caus. 4. quest. 2. Reiffenstuel loc. cit. num. 83. Farinac. quest. 58. num. 19. & 21. citans plurimos alios, & appellans hanc sententiam verissimam, & magis communiter receptam, quamvis nonnulli sentiant contrarium.

67 Puberes minores viginti annis possunt ordinarie esse testes in causis civilibus: Communis. Et ratio est, quia tales puberes nullibi prohibentur esse testes in dictis causis civilibus, adeoque debent admitti per dicta, & Jura adducta supra num. 60.

68 Dicitur tamen notanter Ordinarie, quia tales puberes minores viginti annis nequeunt esse testes in causis civilibus valde arduis, & magni momenti, per dicta, & Jura adducta supra num. 38. & 39.

69 Parentes regulariter prohibentur ferre testimonium pro filiis, & e contra filii pro parentibus: Communis, textu expresso in leg. Testis 9. ff. De testibus, ibi: "Testis idoneus pater filii, aut filius patris non est" leg. Parentes 6. Cod. de testibus, ibi: "Parentes, &

liberi invicem adversus se nec volentes ad testimonium admittendi sunt." Et concordat cap. Si testes 3. §. Testis idoneus, & §. Parentes caus. 4. quest. 2. Et id propter naturalem affectionem, quam inter se gerunt, ob quam eorum testimonium redditur suspectum.

Et hoc extenditur etiam ad omnes ascendentes, & descendentes, tam in linea paterna, quàm materna usque in infinitum, quia dicti omnes quantum ad propositum veniunt appellatione parentis: Communis, textu expresso in leg. Appellatione 51. de verb. signif. ibi: "Appellatione parentis non tantum pater, sed etiam avus, & proavus, & deinceps omnes superiores continentur, sed & mater, & avia, & proavia."

Dicitur autem notanter Regulariter, quia plures sunt casus, in quibus valet testimonium patris, vel matris pro filio, & signanter in probanda filii ætate, quia parentes de ætate filiorum meliorem præ ceteris notitiam habent: Communis, per text. leg. Etiam 16. ff. de probationibus, ibi: "Avi matris professio filiorum recipitur, & etiam recipienda est." Talis autem testificatio parentum de ætate filiorum non facit semiplenam probationem, sicut alterius testis extranei, si redundat in commodum filii cum alterius præjudicio, sed solum præsumptionem aliquam, & leve iudicium affert, nisi adminiculis adjuvetur, ut est v. g. liber patris, in quo scripta est ætas filii, & hujusmodi: Mascard. de probationibus concl. 668. num. 12. & seq. Farinac. quest. 54. num. 178. & seq. Pirhing loc. cit. n. 34. Reiffenstuel loc. cit. num. 106. & alii.

Item quando causa agitur inter duos filios; tunc enim parens potest esse testis pro uno contra alium, quia æqualis affectio, quam præsumitur habere erga omnes filios, tollit omnem suspicionem; arg. leg. Non solum 67. §. 1. ff. De ritu nuptiarum, ibi: "Quia pro affectionis causa suspicione fraudis amovet:" Mascard. concl. 1148. num. 29. Farinac. quest. 54. n. 209. Pirhing loc. cit. num. 34. Reiffenstuel loc. cit. num. 107. & alii.

Item possunt parentes, alique consanguinei testes esse in causa Matrimonialium filiorum, ubi agitur super consanguinitate, vel affinitate aliorum, quia isti melius præ ceteris id scire præsumuntur; cap. Videtur 3. Qui Matrimonium accusare possunt, cap. Leg. ex quadam 47. de testibus, cap. De parentela 8. caus. 35. quest. 6.

Item parentes, alique consanguinei, aut affines utriusque sexus possunt esse testes, ubi agitur de Matrimonio inter æquales contrahendo, & dubitanti, an vir, & mulier sibi invicem promiserint; cit. cap. Videtur 3. Qui Matrimonium accusare possunt, & cap. Super eo 22. juncta Glossa verb. Cum mater, & Abbate num. 8. ac Barbosa ibid. num. 4. de testibus, Farinacius de testibus quest. 54. num. 191. Mascardus de probationibus conclus. 1024. num. 23. cum pluribus aliis ibi citatis, Pirhing loc. cit. num. 36. Reiffenstuel loc. cit. num. 110. & alii.

Dicitur autem notanter Inter æquales, quia si magna adsit disparitas inter contrahentes, ut si mulier longe superet, & excedat virum nobilitate, honore, potentia, divitiis, & hujusmodi, vel vir mulierem, tunc parentes, alique consanguinei, aut affines non censentur testes idonei, cum eorum affectione, & conjunctione sanguinis, seu parentela semper præstantiores, aut locupletiores nuptias ipsi præcipient, adeoque reddantur suspecti: ut expresse dicitur in cit. cap. Super eo 22. de testibus, & tenet ibi Glossa verb. Cum mater: & Abbas num. 8. ac Barbosa num. 4. Speculator tit. de testibus §. 1. num. 4. & 5. Pirhing loc. cit. num. 36. Reiffenstuel loc. cit. num. 111. Menoch. de Arbitr. Judic. lib. 2. cas. 102. num. 6. & 7. & alii. Qui tamen recte concludunt, tale testimonium esse relinquendum Judicis arbitrio, ut inspecta qualitate personæ, & affectionis dijudicet, qualis fides sit ipsi præstanda, ut cum aliis etiam advertit Ventriglia tom. 1. Annot. 3. §. 3. num. 2. & seq. (Conducit tit. 9. part. 4. præcipue lex 15. usque ad 20. ubi num. 75. ad præsentem insertum confirmant.)

77 Maritus pro uxore, & contra uxor pro marito regulariter testis esse non potest: Communis, per text. in cap. Si testes 3. §. Idonei caus. 4. quest. 2. juncta Glossa ib. verb. Imperari leg. Etiam Jure 3. Cod. de testibus, juncta Glossa ib. verb. Etiam Jure vers. Quod in Viro, & Uxore: Et id merito est statutum propter magnam affectionem, quæ est, vel præsumitur inter conjuges, aliis relictis non inferioribus motivis. Et hoc propter eandem rationem extenditur etiam ad sponsam de futuro, & ad concubinam, atque amasiam, Mascard. conclus. 1429. num. 4. & 5. Farinac. quest. 54. num. 215. Pirhing loc. cit. num. 37. Reiffenstuel loc. cit. num. 114. & 115. & alii plures Canonista.

79 Consanguinei, & affines illius, qui ipsos producit ut testes pro se adversus extraneos, non sunt testes idonei: Ipsi enim ob naturalem affectionem erga suos consanguineos, & affines redduntur nimis suspecti: Communis, per text. in leg. Testium fides 3. in princip. ff. De testibus, & cap. Si testes 3. §. Testium fides caus. 4. quest. 2. Consanguinei 1. cap. Accusatores 2. cap. Accusatoribus 3. & cap. Suspectos 4. caus. 3. quest. 4. cap. Absens per alium 18. caus. 3. quest. 9. cum similibus.

80 Domestici ipsius producentis non sunt testes idonei: Communis, per textum expressum in cit. leg. Etiam Jure 3. Cod. de testibus, ibi: "Etiam Jure civili domesticis testimonium fides improbatur," & concordat cit. cap. Si testes 3. §. Etiam caus. 4. quest. 2. ubi ipsissima tradita verba adducuntur; leg. Bos 24. ff. de testibus, ibi: "Testes eos quos accusator de domo produxerit, interrogari non placuit," & concordat cit. c. Si testes 3. §. testes, ubi eademmet præcisa verba habentur, & cap. In literis 24. de testibus, juncto ejus Summario sic præcise dicitur: "Non sunt idonei testes, quos Actor de familia sua producit."

81 Supradictæ autem conclusiones de marito, & uxore, de consanguineis, & affinibus, & de domesticis, limitantur in variis casibus, & signanter quando pars adversa, contra quam supradicti testificantur, sponte eos ad ferendum contra se testimonium admittit, sive expresse, sive tacite nihil contra eorum testimonium opponendo: Quisquis enim potest renuntiare favori pro se introducto, leg. Si quis in conscribendo 29. Cod. de pactis, cap. Si diligenti 12. de foro competentis, cap. Si de terra 6. de privilegiis; adeoque & c. (Vid. lit. R, pag. 148. num. 29.)

82 Item consanguinei, affines, & domestici possunt esse testes in casibus, ubi veritas aliter, quàm per ipsos haberi non potest, ut si agatur de commissis in domo, nemore, aut alio loco secreto; cap. Veniens 38. §. final. de testibus, cap. Venerabilis 11. juncta Glossa verb. Juramento, de testibus cogendis, cap. Si testes 3. §. Servi responsio 4. q. 2. leg. Consensus 8. §. 6. vers. Super plagis Cod. de repudiis, cum similib.

83 Item domestici possunt esse testes, quando sunt domestici utriusque partis, id est, tam ejus, pro quo, quàm ejus, contra quem producantur; tunc enim cessat ratio suspitionis ob parem affectionem erga utrumque: Gabriel commun. conclus. lib. 1. de testibus conclus. 10. num. 68. Mascard. de probationibus conclus. 533. num. 36. Farinac. quest. 55. num. 92. Pirhing loc. cit. num. 44. verb. Limitatur quinto, & alii passim.

84 Item domestici possunt esse testes instrumentarii, & testamentarii; cum enim ipsi ad id sint ab utraque parte rogati, censentur etiam ab utraque approbati, adeoque nequeunt amplius reprobari, sub prætextu quod sint domestici, arg. leg. Si quis 17. Cod. de testibus, Mascard. conclus. 534. num. 29. & 30. cum aliis ibi citatis, Farinac. quest. 55. numer. 83. Pirhing loc. cit. num. 45. vers. Denique, Reiffenstuel loc. cit. num. 130. & alii. (Verb. Testamentum.)

85 Inimici testes esse non possunt contra eos, cum quibus gerunt inimicitiam; Communis, per claros textus in leg. Testium fides 3. in princip. ff. De testibus, Authenti. de testibus §. Si vero dicatur Collat. 7. c. Accusatores 2. & cap. Accusatoribus 3. caus. 3. quest. 5. c. Si

testes 3. §. Testium fides caus. 4. quest. 2. cap. Cum oporteat 19. de accusationibus, cum similibus.

Immo inimici contra suos inimicos nequeunt esse testes, neque in criminibus exceptis, ut hæresis, simonia, læsæ majestatis, & hujusmodi; c. Per tuas 32. §. Nos vero, de Simonia, juncta Glossa ib. verb. Inimici tui capitales: Menoch. de Arbitr. Judic. l. 1. quest. 28. num. 2. & 3. Mascard. conclus. 901. num. 2. Farinac. quest. 53. n. 5. & seq. Pirhing loc. cit. n. 53. Reiffenstuel loc. cit. num. 133. & alii passim.

Parentes contra suos filios, & vicissim filii contra suos parentes in Judicio testificari non possunt: Communis, textu expresso in leg. Parentes 6. Cod. de testibus, ibi: "Parentes, & liberi invicem adversus se nec volentes ad testimonium admittendi sunt;" & concordat per expressa eadem verba cap. Si testes 3. caus. 4. quest. 2.

Parentum autem testimonium contra filios, & filiorum contra parentes admittitur in crimine læsæ majestatis, hæresis, & aliis atrocissimis exceptis criminibus: Clarus in practico criminali §. final. quest. 24. num. 22. Farinac. de testibus, quest. 55. num. 173. & 174. Mascard. conclus. 462. num. 9. & 10. Pirhing loc. cit. num. 65. Reiffenstuel loc. cit. num. 149. Glossa in cap. Laudabilem 1. de controvers. Infidelium, verb. Et Christiani: quod pugnantes pro patria, & fide, pater in filium, & filius in patrem insurgere debeat; arg. leg. Minime 35. ff. de Religiosis, & sumptibus funerum: Tum quia Filii nascuntur patriæ, seu Reipublicæ: leg. Sicuti liberorum 1. §. 15. ff. De ventre in possessionem mittendo: Et quidem magis, quàm parentibus, ut inquit Glossa in cit. leg. Sicuti liberorum §. 15. vers. Reipublicæ: id probans ex leg. Postliminium 19. §. 7. de captivis, & postliminio reversis, & sic Doctores passim, arg. cap. In fidei 5. de Hæreticis in 6.

Liberti contra Patronos, & contra patroni contra liberos non possunt esse testes, nec volentes, nec invitati: Communis, cap. Episcopus 58. caus. 12. quest. 2. cap. Si testes 3. §. Ne patroni caus. 4. quest. 2. & 3. leg. Libertorum 12. Cod. de testibus, ibi: "Libertorum adversus patronos illicitas, atque improbas voces pœnæ objectione præcludimus, atque ita, ut non solummodo sponte prodire non audeant, sed ne vocati quidem in Judicium venire cogantur." Exceptis tamen criminibus hæresis, læsæ majestatis, & aliis similibus atrocissimis, per dicta, & adducta Jura num. antecedenti.

Judæi nequeunt in Judicio esse testes contra christianos: Communis, textu expresso in cap. Non potest 24. caus. 2. quest. 7. & leg. Quoniam 21. Cod. de hæreticis, cum similibus. (Hebræus.)

Idem dicendum est de paganis, hæreticis, & quibuscumque aliis infidelibus: Communis, per text. in cap. Pagani 24. & cap. Si Hæreticus 26. caus. 2. q. 7. cit. leg. Quoniam 21. Cod. de hæreticis, cum similibus.

Prædictæ tamen duæ conclusiones limitantur in criminibus exceptis, ut hæresis, læsæ majestatis, & similibus, ac in casibus, in quibus veritas aliter, quàm per ipsos, haberi non potest: Communis, per textum in cap. In fidei 5. & cap. Contra Christianos 13. de hæreticis in 6.

Possunt insuper Judæi, alique infideles Instrumentariis, contractibus, & testamentis esse testes, saltem si alii commode haberi non possint: Communis, textu expresso in cit. leg. Quoniam 21. in fine, Cod. de hæreticis, ibi: "Ceterum testamentaria testimonia eorum, & quæ in ultimis eloquiis, vel in contractibus consistunt, propter utilitatem necessarij usus, eis sine ulla distinctione permittimus, ne probationum facultas angustetur."

Laici ordinarie non possunt esse testes contra Clericos, & Religiosos in causa criminali criminaliter mota: Communis, per claros textus in cap. Nullus Laicus 2. caus. 2. quest. 7. cap. B. Petrus 5. caus. 6. quest. 1. cap. De cetero 14. de testibus, cum similibus.

BIBLIOTECA CENTRAL

96 Nec valet obijcere, quod Laici possunt Clericos, & Religiosos accusare, & contra eos agere etiam in causa criminali, saltem si suam, vel suorum injuriam prosequantur, ut expresse dicitur in *cit. cap. De cetero 14. de testibus*, adeoque possunt etiam contra eos esse testes. Non valet, inquam, quia ultra quam quod in *cit. cap. De cetero* statim additur: "Nec tum etiam ad testimonium, sed ad accusationem possunt admitti." Stat adhuc evidens disparitas, quia testimonium dicere est majoris praesidii, quam accusare, quia Judex tenetur ferre sententiam secundum allegata, & probata per testes, non autem secundum propositam accusationem; *cap. Judices 4. caus. 3. quest. 7. leg. Rem non novam Cod. de Judiciis*, cum similibus. (Fere consonant *leg. 1. tit. 4. §. 5. & 6. tit. 2. p. 3.*)

97 Dicitur autem in conclusione notanter *Ordinarie*, quia secus est in criminibus exceptis, ut heresis, haeresis majestatis, simoniae, & hujusmodi, quia in istis possunt Laici testificari etiam contra Clericos, & Religiosos, si zelo justitiae, & non odii procedant: *Communis*, per textum in *cap. Tanta 7. de Simonia, cap. In fidei 5. de haereticis* in 6. cum similibus.

98 Item notanter dicitur *In causa criminali criminaliter mota*, quia in causa criminali civiliter mota, sicuti in causis civilibus, possunt Laici esse testes contra Clericos, & Religiosos, *arg. cap. Quoniam 3. capit. Ex parte 7. & cap. De cetero 14. de testibus*: Sic Abbas in *d. cap. De cetero num. 6. & Barbosa ibid. num. 4.* argumento a sensu contrario desumpto, *Mascard. conclus. 1365. num. 54. Farinacius quest. 61. de testibus num. 120.* cum pluribus aliis ibi allegatis. *Pirhing loc. cit. num. 57. Reiffenstuel loc. cit. num. 164. & alii.*

99 Insuper possunt Laici esse testes contra Clericos, & Religiosos ob defectum testimonii ecclesiasticorum, quia *2. g.* crimen a Clerico inter solos Laicos commissum est, ut in villa, ubi nulli reperiebantur ecclesiastici. Et hoc ne alloquin crimina Clericorum, & Religiosorum remaneant impunita, & ipsis praebatur ansa impune delinquendi, *arg. cap. Venerabilis 11. de testibus cogendis*, ibi: *Ne pro defectu testimonii pereat sua justitia*: Abbas in *cit. cap. De cetero num. 3. Barbosa ibid. num. 4. Mascardi. loc. cit. num. 46. Farinac. loc. cit. num. 107. Pirhing loc. cit. num. 58. Reiffenstuel loc. cit. num. 107. & alii.*

100 Clerici, & Religiosi non possunt esse testes contra Laicos in causa criminali criminaliter mota; *cap. Testimonium 9. caus. 11. quest. 1.* juncta Glossa *ibid. verb. Recipiat*: & Archidiaconus *ibid. num. 3. arg. cit. cap. De cetero 14. de testibus*, *Mascardi. conclus. 1358. num. 62. Pirhing loc. cit. num. 59. Reiffenstuel loc. cit. num. 168. & alii passim.*

101 Et ubi agitur de imponenda Laico criminoso poena sanguinis, non possunt Clerici esse testes, nequidem in criminibus exceptis, Glossa in *cap. Aliquantum 1. dist. 50. verb. Ad Sacerdotium*: Covarrub. in *Clement. Si furiosus p. 2. §. 4. num. 5. Farinac. cit. quest. 61. num. 66. & 67. Felin. in cit. cap. De cetero num. 1. Mascardi. conclus. 1358. num. 62. Pirhing loc. cit. num. 59. Reiffenstuel loc. cit. num. 170. & alii.*

102 Possunt tamen Clerici esse testes contra Laicos in causis criminalibus civiliter motis, & in causis civilibus: Archidiaconus in *cit. cap. Testimonium num. 1. Abbas in cit. cap. De cetero 14. de testibus num. 1. Felin. ibid. num. 1. Farinac. cit. quest. 91. num. 68. & seq. Pirhing loc. cit. num. 60. Reiffenstuel loc. cit. num. 179. & ipso teste alii passim, arg. cap. Quamquam 2. caus. 14. quest. 4.*

103 Insuper Clerici possunt esse testes contra Laicos, ubi veritas aliter haberi non potest, non solum in civilibus, & criminalibus civiliter motis, sed etiam in criminibus criminaliter agitis, dummodo non agatur de imponenda poena sanguinis: *Farinac. c. q. 61. n. 71. & 72. cum aliis ibi allegatis, Felin. in c. d. De cetero n. 1. vers. Fallit secundo*: Alexander *consil. 65. n. 7. h. 7. Pirhing loc. cit. num. 60. Reiffenstuel loc. cit. num. 175. & alii per text. in cit. cap. Quamquam 2. caus. 14.*

quest. 2. Et hoc, ut ibi dicitur: "Ne veritas occultetur, & malus ut bonus aestimetur."

In dicitis tamen, & similibus casibus, Clerici, & Religiosi ad testificandum cogi non possunt per Judicem Laicum: Clerici enim, & Religiosi sunt omnino exempti a Jurisdictione fori Laicali: *Communis*, textu expresso in *cap. Nullus Judicum 2. de foro competentis*, cum similibus. Vide *verb. Juramentum art. 2. num. 44. (verb. Clericus, & Forum.)*

Unde si in defectum testimonii Laicorum oportuerit Clericum ferre testimonium, Episcopus ejus ad requisitionem Judicis secularis debet per se, aut per alium examinare Clericum, & ejus Judiciale depositionem sub sigillo suo transmittere ad Judicem Laicum, textu expresso in *cap. Quamquam 2. caus. 14. quest. 2.* ubi ex Concilio Romano sub Eugenio Papa statuitur, quod in similibus casibus: "Ne veritas occultetur, & malus ut bonus aestimetur, in veritatis propriis Episcopi sit, ut aut coram se, & competentibus Judicibus, aut aliter honorifice veritatem testificentur." Ita Archidiaconus in *cit. cap. Quamquam num. 2. Abbas in cap. Cum Nuntius num. 3. & Felinus ib. numer. 3. de testibus*, *Mascardi. conclus. 364. num. 51. Farinac. quest. 61. num. 83. Pirhing loc. cit. num. 60. Reiffenstuel loc. cit. num. 177. & alii passim.*

Immo plures praefatorum Doctorum volunt, quod in simili casu examen Clerici contra Laicum de licentia, & assensu Episcopi, si ita expedire judicaverit, possit etiam fieri per Judicem secularem, quia, dicunt, de licentia Episcopi potest Clericus coram Judice seculari testimonium ferre: Abbas, *Mascardi. Farinacius, Pirhing loc. cit. & alii.* Ac faveat textus in *cap. Super prudentia 1. in fin. caus. 14. quest. 2.* ibi: "Sed si casu contractus eos interfuisset contigerit, jubente Episcopo testimonium dicant," & *cit. capit. Quamquam 2. ead. causa, & quest. ibi: "Aut aliter honorifice veritatem testificentur."* Et ad id facit sequens decretum Sacrae Congreg. Immunitatis relatum a D. Petro Andrea Riccio in sua *Synopsi verb. Testis num. 1.* his praevisis verbis: Synopsi verbe licentia Episcopi non potest testimonium ferre etiam in causa civili coram Judice Laico, sed pro licentia nihil est solvendum: *In Aquilana 5. Maji 1637. lib. 3. Decretor. Paul. pag. 50.*

Qui tamen Riccius in *dit. sua synopsis verb. Facultas examinandi Ecclesiasticos & Exemptos*: adducit sequentia decem & octo Decreta ejusdem Sacrae Congregationis Immunitatis, ibi:

1. Attentis circumstantiis particularibus temporum de ordine Sanctissimi datur Emin. Legato facultas examinandi pro-quinque casibus, qui possunt occurrere, etiam per alium (modo sit Clericus) omnes personas ecclesiasticas, utcumque privilegiatas, & specialiter nota dignas, cum preservatione ab irregularitate pro hac vice tantum, & non transeat in exemplum, modo: crimina sint gravia, & enormia, scilicet contra quietem publicam: Bononien. 8. Maji 1697. *lib. 2. Decret. Vallem. pag. 90.*

2. Si veritas pro defensione rei aliunde haberi non potest, datur Episcopo facultas, ut Clerici possint in tribunali laico examinari in causa criminali pro defensione, praestito tamen prius juramento coram d. Episcopo de servandis expressis in praxi Genuensi *cap. 35. num. 6.* scilicet ut articuli, super quibus deponent, non contineant criminalitatem, infamiam, negativam, aut repulsam. Et cum dispensatione ab incurso irregularitatis. Et detur salvis conductus Clericis examinandis: Mediolanen. 24. Aprilis 1646. *lib. 3. Decret. Paul. pag. 379.*

3. Supplicante carcerato a Curia Laica pro examine Sacerdotis in ejus defensam, injungitur Vicario Generali, ut eum examinet, & postea communicet examen Curiae seculari: Firmana 29. Julii 1673. *lib. 1. Decret. Altoni pag. 822.*

4. Ad hoc, ut Immunitas possit reintegrari, & justitia adimpleatur, quando aliter, & aliunde non potest justificari, an carceratio sit facta in loco Immunitatis: *Constitutio 17. Julii 1668. lib. 1. Decret. Altoni pag. 239.*

5. Sanctissimus concedit facultatem Ordinario examinandi Regulares, & Seculares exemptos in causa processu contra Gubernatorem ob obsessionem positam Ecclesiae pro capiendis confugiis, cum solita preservatione: Narnien. 26. Julii 1672. *lib. 1. Decret. Altoni pag. 719.*

6. Episcopo conceditur facultas examinandi Patentes Sanctae Domus in causa extractionis: Lauretana 2. Aprilis 1679. *lib. 1. Decret. Altoni pag. 332.*

7. Archiepiscopo conceditur facultas, ut mandet per suos Judices examinari Equitem Christi super copiam authenticam examini: Neapolitana 16. Septemb. 1625. *lib. Script. Viet. pag. 71.*

8. In causa mortis ex veneno secuta Sanctissimus tribuit facultatem examinandi coram Episcopo Medico Sacerdote, & consignandi examen Curiae seculari: Tropien. 30. Martii 1694. *lib. 1. Decret. Vallem. pag. 114.*

9. Ut deveniant in cognitionem furti, quatenus alii testes haberi non possint, conceditur Vicario Generali facultas examinandi Sacerdotem: Mediol. 30. Julii 1678. *lib. 2. Decret. Altoni pag. 1621.*

10. Episcopo cum facultate Sacrae Congreg. praevio juramento coram se praestando ab Ecclesiasticis, conceditur facultatem Judici seculari examinandi, & iisdem Ecclesiasticis sese subjicenti examini coram eodem Judice, praevia declaratione facienda per fiscum utendi depositione citra noxam sanguinis: Ostunen. 31. Maji 1704. *lib. 3. Decret. Vallem. pag. 584.* Eugubina 9. Sep. 1673. *lib. 1. Decret. Altoni pag. 837.*

11. Ex Secretaria Status jussu Sanctissimi pro indaganda veritate quoad rapinas, & furta patrata in Legationibus Ferrariæ &c. datur Vicario Generali facultas examinandi mulierem existentem in conservatorio, ac etiam perquirendi in hospitali: Faventina 6. Decemb. 1692. *lib. 1. Decret. Vallem. pag. 9.*

12. Datur Emin. Legato facultas examinandi, annuente Sanctissimo, etiam per alium (modo sit Clericus) in causa furti sacrilegi vasorum sacrorum facti a fratre Laico Regularis Cappuccinos, & cogendi etiam per censuras, cum preservatione ab Irregularitate: Ravennaten. 1. Octob. 1678. *lib. 2. Decret. Altoni pag. 165.* Similis facultas conceditur etiam quoad Monachos Cassinenses: Cononien. 14. Jan. 1679. *lib. 2. Decret. Altoni pag. 1699.*

13. Ad hoc, ut dilucidari possit delictum resistentiae, seu oppositionis armis factae contra Curiam laicam Emin. Legatus Urbini ex mandato Sanctissimi potest examinare Clericum, eumque cogere in casu renitentiae, cum solita preservatione ab Irregularitate: Urban. 27. Jan. 1694. *Decret. lib. 1. Vallem. pag. 101.*

14. Datur Eminens Archiepiscopo facultas cogendi Monachos Evestinos non obstantibus eorum privilegiis ad se subjiciendum examini in tribunali Legationis, praestito prius juramento in Curia ecclesiastica de dicenda veritate; dummodo agatur tantum iudicio civili: Bononien. 30. Novemb. 1697. *lib. 2. Decret. Vallem. pag. 122.*

15. Conceditur Gubernatori facultas examinandi Ecclesiasticos in causa furti lampadis sicuti in sacra eade Lauretana cum solita preservatione ab Irregularitate: Lauretana 23. Augusti 1667. *lib. 1. Decret. Altoni pag. 147.*

16. Jubente Sanctissimo datur Gubernatori facultas in causa homicidii ejusdem Canonici, ut possit examinare etiam per alium (dummodo sit Clericus) personas ecclesiasticas, & Notarium Vicarii Foranei, & in casu retinentiae eas cogendi, ac procedendi contra easdem, si culpabiles reperiantur, praemissa solita protestatione ad formam *cap. Praelatis, de homicid. in 6.* sicque Sanctissimus eos praeservat ab omni Irregularitate: Reatina 27. Decemb. 1692. *lib. 1. Decret. Vallem. pag. 14.* Verulana 5. Decemb. 1693. *d. lib. pag. 91.* Maceraten. 16. Decemb. 1693. & 24. Apr. 1694. *d. lib. pag. 11. & alibi.*

17. Annuente Sanctissimo in causa grassationis datur Gubernatori facultas examinandi etiam per alium (dummodo sit Clericus) fratrem Religiosum, qui parum distabat a loco commissae grassationis: Spoletana 22. Nov. 1693. *lib. 1. Decret. Vallem. pag. 87.*

18. Conceditur Episcopo facultas imperiendi licentiam examinandi Ecclesiasticos in causa homicidii, quando ex aliorum depositione nequeunt haberi probationes sufficientes ad justitiam subministrandam, cum solita preservatione facta protestatione ad tenorem *cap. Praelatis, de homicid. in 6.* Eugubina 9. Septemb. 1673. *lib. 1. Decret. Altoni pag. 837.*

19. An Clerici, & Religiosi possint sine licentia suorum respective Superiorum valide & licite esse testes in testamentis, & contractibus laicorum. Vide *verb. Testamentum art. 1. num. 24. & 25.*

20. Nemo potest esse idoneus testis in propria causa: *Communis*, textu expresso in *leg. Nullus 10. ff. de testibus*, ibi: "Nullus idoneus testis in re sua intelligitur," *leg. Omnibus 10. Cod. eod. ibi: "Omnibus in re propria dicendi testimonii facultatem Jura submoverant," cap. Si testes 3. §. Nullus, & §. Omnibus caus. 4. quest. 2. & 3.* ubi ambe dictae leges canonizantur. (*leg. 180. tit. 16. p. 3.*)

Cum Gratiani Decretum, quantumvis plures Romanorum Pontificum cura emendatum fuisse non ignoretur, vim, ac pondus legis non habeat; quin immo inter omnes receptum sit, quidquid in ipso continetur, tantum auctoritatis habere, quantum ex se habuisset, si nunquam in Gratiani collectione insertum foret: ut praeter ceteris testatur S. D. N. Benedictus XIV. *lib. 7. de Synodo, cap. 15. num. 6.* hinc sequitur, quod praedictae Leges nequeant dici canonizatae, quae tantum ex corpore juris Civilis desumptae sunt.

Advocati, & Procuratores nequeunt esse testes in causa, cui patrocinium praestiterunt: *Communis*, textu expresso in *leg. Mandari 25. ff. de testibus*, ibi: "Mandari cavetur, ut Praesides attendant, ne patroni in causa, cui patrocinium praestiterunt, testimonium dicant," *cap. Romanae 3. de testibus in 6.* ibi: "In appellacionis causa is, qui appellantis Procurator, vel Advocatus in priori iudicio fuerat, non recipiatur in testem." Et concordat *cap. Si testes 3. §. Patroni caus. 4. quest. 2. §. 3. & cap. Insuper 6. in fine de Testibus*. Et id propter praesumptam affectionem in illam causam, cui patrocinium praestiterunt.

Neque Judices possunt esse testes in causis, quas judicaverunt: *Communis*, per textum in *cap. Dilecto 40. de testibus*. Et ratio est eadem, quae *num. antecedenti*: Tum quia Judex, Actor, Reus, Testis distinctus in iudicio personae esse debent; *cap. Nullus unquam 1. & cap. Nullus introducat 2. caus. 4. quest. 2. capit. Forum 10. §. In omni de verb. significat.* cum similibus.

Dicta de Judicibus, Advocatis, & Procuratoribus; dicenda sunt etiam de Tutoribus, vel Curatoribus in causis suorum pupillorum, vel minorum; item de Administratoribus, Syndicis, & Actoribus, cum eadem sit ratio eos repellendi a testimonio propter praesumptam affectionem ad negotium, quod gesserunt, quandoquidem commodum inde, vel honorem saltem, aut gratiam consequi possunt: *Communis*, per textum in *cit. leg. Mandari 25. ff. de testibus*, ibi: "Quod & in executoribus negotiorum observandum est." Tum quia supradicti omnes censerentur quodammodo esse testes in propria causa, *arg. leg. Siquidem 1. §. In propria causa 11. ff. Quando appellandum sit*; ubi sic expressè habetur: "Propriam causam ab aliena quemadmodum discernimus, & palam est eam esse propriam causam, cujus emolumentum, vel damnum ad aliquem suo nomine pertinet." Quae ipsissima expressa verba habentur canonizata in *cap. Biduum 29. caus. 2. quest. 6. §. Palam est*, ibi: "Palam est eam esse propriam causam, cujus emolumentum, vel damnum ad aliquem suo nomine pertinet."

Proxenetæ, seu mediator inter contrahentes, regulariter testis esse non potest in actu, seu negotio, in quo

BIBLIOTECA CENTRAL

etate horum probanda, conjuges, fratres sub patria potestate constitutos (casus excepti ex leg. 14. ad 20. tit. 9. p. 4. inveniuntur.) mulierem (sine differentia lex 1. in hujus adnotationis exordio loquitur) nisi bonæ existimationis fuerit, & contra eam iudicium non esset latum de adulterio, actorem, & reum, (in negotiis quorum commodum ad eosdem spectat) eorumque domesticos, venditorem in causa evictions, iudicem (Ad rem lex 5. tit. 8. lib. 2. For. Reg. ad superiorem instructio, si petatur, remitti poterit) in causa ante eum incepta, Advocatum in causa sui clientis, nisi adversa pars consentiat, procuratorem in suarum parium, tutores, & curatores in minorum litibus, socios, capitalem inimicum, qui est ignotus, & vilis, testes in iudicio esse non valere, l. 14. ad 22. in clausula. Repete circa ascendentes &c. lex 8. tit. 9. For. Circa mulieres testificantes lex 8. ejusdem tit. 8. lib. 2. For. Reg. cum 96. Styli videatur, in quibus olim in testes vocari solum poterant, casus referuntur, videlicet valebat earum dumtaxat testimonium de occurrentibus in balneis, furnis, molendinis, flumine, fonte, super eis, quæ stamina seu filamenta, texturas, parus, mulieris alicujus recognitionem, aliasque femineas actiones, mente tamen retineatur præcit. lex 17. tit. 16. ejusd. p. 3. per quam absolute, ut supra est demonstratum, in omnibus extra testamentum conceditur, easdem testimonium præbere: lex pen. & fin. tit. de las testimonias lib. 2. For. Judic. (cit. inveni. vide DD. Ildefonsus Diaz de Montalvo in glor. ad leg. 8.) nullam exceptionem proponit.)

ARTICULUS II

Quoad ea, quæ concernunt testium numerum, testes contestes, testes singulares, testes de scientia, testes de credulitate, testes de auditu, testium productionem, juramentum, & examen, ac interrogatoria suggestiva.

SUMMARIUM.

- 1 Quor testes in qualibet causa: plures quam duo quibus in negotiis: quando unus sufficit: quomodo ad probationem testes vocentur: eorum singularitas quovis: quam probationem testes singulares efficiant, ad num. 16.
 - 17 Quoad probationem quod nomen eis convenit: de scientia quando testes requiruntur, & producantur: quot productiones admittende: quando locum habeat, ad quod usque tempus, & quibus sumptibus, ad n. 35.
 - 36 Impediens eos producere, graviter peccat: juramentum debent præstare: qua forma: quando absque juramento eis credatur: à iudice sunt examinandi: an possit eorum examen committi: separatim faciendum, & quo in loco egregie personæ examinanda, ad num. 53.
 - 54 Quomodo interrogandi, & que de interrogatoriis repellenda: quid in Rei confessione per interrogatoria suggestiva extorta, ad num. 58.
 - 59 Additiones subnectuntur, ad num. 65.
- R**EGULARITER in qualibet causa sive profana, vel seculari, sive ecclesiastica, sive criminali, sive civili, ad legitimam probationem requiruntur, & sufficient duo testes idonei, & omni exceptione majores: Nisi expresse per legem, aut canonem plures in aliqua causa requirantur: Com. per expressos textus in cap. 17. n. 6. Deuteronomii, ibi: "In ore duorum, aut trium testimonium stabit omne verbum." Matthæi cap. 18. n. 16. ibi: "Ut in ore duorum, vel trium testimonium stet omne verbum." cap. In omni 4. de testibus, ibi: "Ut in ore duorum, vel trium testimonium stet omne verbum." cap. Licet 23. eod. ibi: "Juxta illud Dominicum: In ore duorum, vel trium testimonium stat omne verbum;" cap. Si tes-

tes 3. §. Ubi num. 1. caus. 4. quest. 2. & 3. ibi: "Ubi num. testimonium non adicitur, etiam duo sufficienti, pluralis enim locutio duorum num. contenta est." leg. Ubi num. 12. ff. De testibus, ibi: "Ubi numerus testimonium non adicitur, etiam duo sufficienti; pluralis enim locutio duorum numero contenta est."

Dicitur autem notanter: "Nisi expresse per legem seu canonem, plures in aliqua causa requirantur;" quia in variis causis plures, quam duo testes requiruntur, tum de Jure civili, tum de Jure canonico. Et quidem de Jure civili in testamentis requiruntur septem testes; leg. Hac consultissima 21. Cod. de testamentis, leg. Heredes 21. §. In testamentis ff. Qui testamentis facere possunt. Et quinque testes in codicillis; leg. Si quis 8. §. 3. Cod. de codicillis. Item quinque testes requiruntur in donatione facta causa mortis; leg. Cum de mortis causa 4. Cod. De donationibus causa mortis. Item alii plures sunt cause, in quibus plures, quam duo testes requiruntur, quæ brevitas gratia relinquantur videnda apud Speculatorem tit. de teste, §. De num. testimonium num. 1. Farinac. tract. de testibus quest. 63. num. 253. qui plures hujusmodi causas enumerant. (Consonant leg. 11. §. 3. tit. 8. lib. 2. For. Reg. præcipue 32. tit. 16. p. 3. vid. verb. Testamentum, in add. nov. cum leg. 4.)

De Jure canonico etiam in variis causis plures, quam duo requiruntur testes. Et signanter in purgatione canonica Episcopi requiruntur testes duodecim; cap. Omnibus 19. caus. 2. quest. 4. & concordat cap. Nobilis 1. de purgatione Canonica. Et in purgatione Presbyteri septem, & in purgatione Diaconi tres requiruntur; cap. Si legitime 12. ead. caus. 2. §. quest. 4. Item in causa divortii ob impotentiam viri septem requiruntur testes ex parte utriusque conjugis, qui jurent, quod invicem cohabitaverint, & nunquam copulam habere poterint; cap. Requisivisti 2. caus. 33. q. 1. c. Litteræ 7. de frigidis, & maleficiis. (leg. 5. tit. 8. p. 4.) Item ad condemnandum Episcopum testes 72. Presbyterum 44. Diaconum 27. & Subdiaconum, vel inferiorem Clericum Ecclesiæ Romanæ 7. requiruntur in c. Præsul. 2. caus. 2. quest. 5. Unde in cap. Licet 23. de testibus, expresse dicitur, quod quedam sint cause, quæ plures, quam duos exigant testes: Quamvis tamen de consuetudine hodie ad convincendam quamcumque personam in quacumque dignitate constitutam sufficiant duo testes idonei, & omni exceptione majores: Gratianus in cit. cap. Præsul. 2. caus. 2. quest. 4. §. Ex præmissis, & cap. Nullam 3. §. Sed hoc ead. caus. §. 9. Clarus in præctico. criminal. lib. 5. final. quest. 66. n. 5. Pirhing loc. cit. n. 8. Reiffenst. loc. cit. num. 244. Farinac. quest. 63. de testibus num. 244. citans alios, & communem.

Unus solus testis, cujuscumque sit dignitatis, non sufficit ad legitimam probationem, ita ut nulla judicialis controversia testimonio unius hominis quamvis legitimum terminari possit: Communis, & habetur expresse tum de Jure divino ex adductis textibus supra num. 2. & ex cap. 17. num. 6. Deuteronomii: ibi: "Nemo occidatur uno contra se dicente testimonium." & ex ejusdem, cap. 19. num. 15. ibi: "Non stabit testis unus contra aliquem." Tum de Jure canonico cap. Veniens 10. de testibus, ibi: "Nec unus testimonium ad condemnationem sufficiat alicujus," cap. Licet 23. eod. ibi: "Nulla est tamen causa, quæ unus testimonio quamvis legitimum terminetur," cap. Si testes 3. §. Jurisjurandi caus. 4. quest. 2. & 3. ibi: "Unius testis responsio omnino non audiatur, etiam si præclaræ Curie honore præfulgeat," cap. Admonere 8. caus. 34. quest. 2. ibi: "Nec Evangelium, nec ulla divina, humanaque lex unius testimonio etiam idoneo quempiam condemnat, vel justificat. Tunc de jure civili L. Jurisjurandi 9. Cod. de testibus, ibi: "Manifeste sanctimus, ut unus omnino testis responsio non audiatur, etiamsi præclaræ Curie honore præfulgeat;" juncto ejus Summario ibidem, ubi refert illud vulgatum: Vox unius, vox nullius.

Dantur tamen plures casus, in quibus etiam unus testimonium ad plenam fidem, & probationem faciendam

dam sufficit. Et signanter in quibusdam causis non Judicialibus, nec alteri præjudicialibus, ut quod talis infans sit baptizatus, talis Clericus sit ordinatus, talis penitens sit confessus, talis moribundus signa penitentiae dederit, talis excommunicatus sit ab excommunicatione absolutus, talis Ecclesia sit consecrata; & hujusmodi, arg. cap. Cum itaque 112. juncta Glossa ib. verb. Qui testimonio dist. de consecrat. Mascard. de probationibus vol. 1. g. 11. num. 14. & conclus. 103. Farinac. quest. 63. n. 26. & 27. Pirhing. loc. cit. num. 112. & alii passim. Item in causis Judicialibus levioribus, in quibus non agitur de gravi præjudicio tertii, & in causis summariis, in quibus de plano proceditur sola facti veritate inspecta; Mascard. cit. quest. 11. num. 19. Farinac. cit. g. 63. num. 30. Maranta de ordin. Judic. part. 4. dist. 9. num. 75. Gabriel Com. conclus. l. 1. de testibus concl. 1. num. 22. & 41. Reiffenstuel loc. cit. num. 280. & alii communiter. Item quando agitur de vitando peccato, dummodo parti jus non sit acquisitum, ut si ante contractum Matrimonium dubitetur de impedimento dirimente, tunc enim sufficit testis unus id affirmans, (Leg. 17. tit. 9. p. 4.) ut patet ex cap. Super eo 22. de testibus, & cap. 2. de Sponsalibus, Abbas in cit. cap. Super eo num. 7. Farinac. cit. g. 63. num. 48. Sanchez lib. 1. de matrim. disp. 71. num. 1. testans de communi. Item creditur publico Officiali jurato in his, quæ pertinent ad sum Officium, ut Nuntio, seu Apparitori asserenti citationem à se factam esse, Ponderatori publico circa mensurationem, seu ponderationem justam rerum ad se delatarum, Medico, Architecto, Agrimensori, & hujusmodi; Communis, (Ad rem lex 67. tit. 8. tit. 14. 118. & 119. tit. 18. p. 3.)

7 Testes quoad probationem alii vocantur testes contestes, & alii testes singulares. Testes contestes sunt illi, qui unum & idem ipsum factum testantur, ut quod viderint Petrum furantem talem rem, tali loco, & tempore, &c. gr. candelabrum argenteum tali die, in tali Ecclesia. Testes singulares est contra sunt illi, qui testantur super diversis factis, ita ut quilibet sit singularis in suo dicto, & non concordet cum alio; Sic in re Doctores communiter.

8 Singularitas testium ex triplex, nempe Obstativa, Admniculativa, & Diversificativa: Sic Baldus in cap. Licet causam num. 11. de probationibus. Farinac. de testibus quest. 6. num. 4. cum aliis ibi citatis, Pirhing. loc. cit. num. 142. Reiffenstuel loc. cit. num. 285. & alii passim.

9 Singularitas Obstativa, seu Adversativa est ea, quæ continet contrariam, seu repugnantem testium depositionem, ut si unus deponat tale homicidium, seu adulterium commissum esse in tali loco, & tali tempore, alter vero asserat commissum esse in alio loco, & alio tempore, ut patet de singularitate Obstativa, seu adversativa duorum illorum impudicorum testium senium, Daniel. cap. 13. quorum unus testabatur castam Susannam commississe adulterium sub Schino, & alter sub Prino; repugnat enim, quod idem numero adulterium committatur eodem tempore in diversis locis, seu sub diversis, & distinctis arboribus. (Leg. 28. tit. 16. p. 3.)

10 Singularitas admniculativa, seu cumulativa est ea, quæ continet testium depositionem de actibus quidem diversis, sed tamen mutuo sese adjuvantibus ad probandum id, de quo est questio, ut si ad probandum controversam possessionem agri, unus testis asserat, se vidisse illum arari à Paulo, alter dicat se vidisse illum ab eodem Paulo seminari, & alter deponat se vidisse messem ab eodem Paulo ex eo colligi: Isti enim testes, quamvis sint singulares, quia deponunt de diversis actibus possessoriis, uti sunt arare, seminare, & messem colligere, tamen cum tendant ad eundem finem, probandi nempe possessionem illius agri habitam à Paulo, dictum unius testis coadjuvat dictum alterius, & sic de aliis similibus, ut cum ad probandum idem factum concurrunt diversæ quidem testium depositiones, mutuo tamen sese adjuvantes, ut si unus testis deponat de facto à se viso, alter de

eodem à se auditò, alter de fama ejusdem, & hujusmodi. (Aliquid innuit tit. 30. Consonat lex 10. tit. 14. p. 3.)

Singularitas diversificativa est ea, quæ continet testimonium depositionem de actibus diversis, quorum unus neque repugnat alteri, neque ipsius probationem coadjuvat, ut si unus testis asserat, quod Petrus ludens cum Paulo amisit scuta centum tali die, & tali loco, & alter dicat, quod amisit octoginta alio loco, & alio tempore: Tales enim testes non contrarii, sed diversa deponentes de diversis actibus reputantur, cum non repugnet, quod Petrus ludens cum Paulo bis, & ter, & adhuc pluries diversas summas diverso loco, & tempore amiserit. Unde neque una depositio repugnat alteri, neque eandem adjuvat, sed quælibet manet singularis in substantia objecti, & effectus, ac si altera depositio non fuisset facta.

Testes singulares singularitate obstativa, seu adversativa nihil probant: Communis, & patet expresse ex cap. 13. Danielis de adductis supra num. 9. duobus impudicis testibus accusantibus castam Susannam de adulterio, qui ex quo essent testes singulares singularitate obstativa, seu adversativa, succubuerunt in probatione, & falsitatis convicti fuerunt. Unde melius est habere pro se unum solum testem alioquin idoneum, quam mille testes singulares singularitate obstativa, cum isti omnes nihil probent, & ille solus probet saltem semiplene.

Testes singulares singularitate diversificativa, quamvis plene non probent, singuli tamen probant tantum, quantum unus, adeoque ex eorum depositione oritur saltem semiplena probatio. Prima pars, scilicet quod plene non probent, habetur clare ex cap. Bonæ memorie 23. §. Contra, de Electione, ibi: "Cum etsi quilibet de se possit asserere, quod ad eum citatio minime pervenisset, singuli tamen vestrum essent in suo testimonio singulares." Et sic, ut explicat Glossa ibid. verb. Singulares: "Et sic esset insufficientis testimonium illorum." Et concordat cap. Cum dilectus 32. §. Nos vero, de electione. ibi: "Cum contra hoc eorum esset probatio insufficientis, eo quod singuli essent in suis testimoniis singulares," juncta Glossa ibid. verb. Probatio, & cap. Licet causam 9. §. Quamquam, de probationibus, ibi: "Et quidam alii sint in dicto sui Testimonii singulares." Secunda autem pars, scilicet, quod singuli probent tantum, quantum unus, adeoque ex eorum depositione oriatur saltem semiplena probatio, suadetur clara ratione, quia cum eorum depositiones in nihilo sint contrariæ, & repugnant, ut patet ex dictis supra num. 11. quælibet de se habere debet totum illum valorem, quem habet depositio unius testis esse-roquin idonei, & omni exceptione majoris, uti esse supponitur quilibet istorum in hoc casu, adeoque semiplenam facit probationem, uti facit depositio unius testis legitimi, & omni exceptione majoris; Farinac. cit. quest. 64. num. 42. & 47. Reiffenstuel loc. cit. num. 294. & seq. Jason in leg. Admonendi num. 178. ff. de Jurjurand. Cacciaiupus ibid. num. 91. 92. & 93. testans de communi.

Testes singulares singularitate admniculativa, seu cumulativa, probant in causis civilibus idem factum genericum, continuum, seu successivum: Ita Glossa final. in leg. Ob carmen ff. de testibus, Mascard. de probationibus concl. 1205. num. 24. & seq. Card. de Luca tract. de dote disc. 144. num. 9. Farinac. cit. quest. 64. num. 112. 150. 160. & 164. Pirhing. loc. cit. num. 144. Reiffenstuel loc. cit. num. 297. & seq. Felin. in cap. Licet ex quadam num. 2. Baldus ibid. num. 9. de testibus. Tuschus lit. T. conclus. 266. & alii passim. Et ratio est, quia, ut patet ex dictis supra num. 10. tales testes quoad rem, & substantiam questionis non censentur esse testes singulares, sed potius contestes, per notabilem textum in leg. Qui sententiam 16. Cod. de panit. Tum quia licet adhuc possent dici testes singulares, ex quo deponat de alio, & alio actu specifico, nihilominus tales testes etiam singulares conjunguntur in dicto casu ad plene probandum, cum tendant ad eundem finem, quamvis per